Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

sit species in Christo. Videtur quod in Christo forma totius non fuit. [P]raeterea dicitur quod nomine humanae naturae corpus et anima intelligitur. Cum dicitur Christus humanam naturam assumpsisse. Sed constat quod nec corpus nec anima est forma totius ad minus secundum communem opinionem. Ergo in Christo forma totius non fuit. [S]ed contra forma totius in rebus animatis resultat ex coniunctione animae ad corpus. Sed in Christo anima coniuncta corpori fuit. Aliter corpus eius vivum non fuisset. Ergo in Christo fuit forma totius. [P]raeterea homines conveniunt specie ad invicem secundum convenientiam in forma totius. Sed Christus fuit eiusdem speciei cum aliis hominibus, aliter pro hominibus non satisfecisset. Ergo in Christo fuit forma totius. [R]espondeo dicendum quod secundum philosophum in viii metaphysicae diffinitiones rerum conveniunt cum numeris quod sicut in numeris contingit quod si subtracta vel addita unitate fit alius numerus, ita est in diffinitionibus, si addatur vel subtrahatur aliqua differentia specifica, fit alia species. Cum ergo omnes differentiae sumantur ex essentialibus principiis oportet quod si rei subtrahatur aliquid de essentialibus eius non remaneat eadem species. Cum ergo Christus fuerit eiusdem speciei cum aliis hominibus, aliter enim verus homo vere homo non fuisset sed aequivoce homo diceretur, nec pro hominibus satisfecisset, oportet quod omnia essentialia homini in Christo fuerint, et corpus et anima vegetabilis, sensibilis et rationalis, et ulterius forma totius resultans ex coniunctione animae et corporis quae humanitas dicitur. [S]ecundum quod proprietates similes ex principiis essentialibus causantur, oportet quod in Christo fuerint omnes proprietates similes speciem humanam consequentes. [D]e aliis autem quae pertinent naturam humanam consequuntur sive sint defectus sive perfectiones infra suo loco dicetur. [A]d primam ergo quaestionem dicendum quod circa hoc fuerunt duo errores. Unus fuit Manichaeorum qui dicebant quod Christus verum corpus non habuit sed tantum phantasticum, et ideo haec positio videtur fuisse quod omnium visibilium auctorem diabolum posuerunt. Et ideo nihil huius secundum veritatem in Christo fuit, in quo princeps huius mundi nihil habuit. Io. xiiii. [P]atet autem quod positio ista falsa est et quantum ad radicem positionis quia Deum creatorem omnium visibilium et invisibilium catholica fides tenet, et ideo demonstratur cum a primo ente oporteat omnia esse entia ut in x metaphysicae probatur. Et in se positio falsa est quia veritatem humanitatis tollit ut ex dictis patet. [S]ecundum et in veritate aliquam falsitatem vel simulationem in eo quod dixit de se Ego sum via veritas et vita. Io. xiiii. [A]lius error fuit Martianorum qui dicebant Christum corpus non de virgine assumpsisse sed de caelo apportasse. Et forte ortum habuit ex opinione Platonicorum qui dicebant animae corpus terrestre omnino fugiendum esse ut beatitudinem consequatur, non enim credebant posse fieri ut anima corpori terrestri unita beata esset. Ponebant tamen animas corporibus caelestibus unitas ut soli, lunae et stellis beatas fore ut Augustinus in libro x de civitate dei recitat. Et ideo

animam Christi quam sumere voluit non terrestri sed caelesti corpori unitam putaverunt. Sed haec positio veritatem humanitatis tollit, quia cum forma ut dictum est determinatam materiam requirit, et ideo anima humana non ex quibuslibet materiis quod perficiat hominem facit. Sed requirit ut sit forma talis corporis elementati et debita proportione complexionati. Unde si Christus corpus terrestre non habuit, verus homo non fuit. [H]uius autem idem defectus contigit quod antiquis philosophis qui ut in primo de anima dicitur de anima determinantes nihil de corpore dixerunt, opinantes quamlibet animam cuilibet corpori aptari quod esse non potest cum propriae formae respondeat propria materia et mobili agenti determinata instrumenta. [E]t ideo fides catholica quae Christum verum hominem confitetur, eum habuisse corpus ex iiii^or elementis compositum sicut nos (margin: nos) huius sumit et tenet. [A]d primum ergo dicendum quod concupiscentia carnis contra spiritum non causatur ex ipsa carnis natura sed ex infecta corruptione eius quae ex peccato primi parentis provenit, sine qua filius dei veram naturam carnis assumpsit. [A]d secundum dicendum quod similitudo attenditur secundum formam; corporis autem (margin: corporis humani) humani forma est anima rationalis in qua imago dei consistit, et ideo in corpore humano non tantum est similitudo vestigii. Sed et similitudo imaginis inquantum animam habet. Vel dicendum quod etiam corpus humanum habet esse quoddam distinctum ab esse quod datur ab anima cum ab alia forma perficiatur per quam sit in eo similitudo vestigii tantum sicut in corporibus inanimatis, quia sic anima esset ens et corpus secundum quod corpus nominat ens subsistens in actu quod ad rationem accidentis pertinet, ut in secundo de anima commento dicitur. [A]d tertium dicendum quod coniunctio animae ad determinatum perfectibile consistit in proportione intellectus et voluntatis in quo corpus nullum communicat, quod excedit talis operatio omni organo corporali, ut in iii de anima probatur. Et ideo perfectibile nullum corpus determinatum uniri potest. Sed coniunctio unionis est ad esse in quo unitur. Corpus autem et anima in uno esse communicant quia alterum est quod erat esse huius corporis ut in secundo de anima dicitur, et ideo per modum unionis in quo unitur corpus determinatum coniungi potest. [Q]uartum et quintum concedimus. (margin: R°) [A]d septimam quaestionem dicendum est quod circa hoc etiam fuerunt duo errores. Unus fuit Arrii et Eunomii qui dicebant filium dei carnem sine anima assumpsisse quod opinabantur divinitatem sibi animam corporis eius vivificare. [A]lius fuit error Apollinaris qui dicebat in Christo corpus animatum fuisse tamen anima carente sensu et intellectu. [U]terque autem error veritati humanitatis derogat et dignitati corporis Christi. Non enim potest esse ut non in aliquo esse perficiat nisi per id quod sit forma eius. Unde cum deus non sit forma corporis esse perfectum quod oportet eum esse partem et non immixtum existere quia corpus Christi si omnino careret anima esset sicut corpus non vivum. Et si careret anima sensibili et rationali esset sicut corpus plantae. Unde esset multo minus nobile quam corpus nostrum. [S]imiliter etiam de ratione hominis est animam rationalem habere. Si ea Christus caruisset, verus homo non fuisset. Hoc autem videtur eis contigisse ex